

Interim ubi per summam & immensam DEI gratiam Christianorum Scholæ, ab omnibus fermentis repurgatæ, disciplinas tum instrumentales tum principales ita proponunt, ut manus jungere quàm placidissimas ipsi religioni videantur: meliora pietatis specimina requiri à juvenibus non possunt, quàm ut eruditis quoque; meditationibus eum colere contentur, qui RATIONIS & ORATIONIS, SAPIENTIÆ & SCIENTIÆ primus Autor est. Quamobrem sicut Amstelodamenses Scholæ suæ præclaram hanc adjecere notam, ut in ipso ejus ingressu verba legi vellent: ERUDITÆ PIETATI; ita semper operam ego dedi, ut, sin minus ea verba legi possent in auditorio meo literis aureolis expressa, nullus tamen è commissis juvenibus sic obtorpesceret, quin exempla mea, regulas meas, monita mea dirigi ad ERUDITAM PIETATEM intelligeret.

Ac in hoc argumento potissimum occupabitur nostra sedulitas, & ubi PIETATEM WINCKLERIANAM pio sermone prosequi fas est, ipsa PIETAS, habitum eruditum non dedignata, prodibit in publicum.

Sequemur Apostolum, qui duos præclaræ indolis nactus discipulos Timotheum & Titum, ipsos certè non jubet abjicere politiora Pietatis instrumenta, Logicam & Oratoriam: sed ne divinum hoc donum, ac ipsum rectæ rationis thesaurum, genealogiis, fabulis, vanisque contentionibus impendant, graviter monet. Sciverat Christum, quoties rem haberet cum pertinacibus adversariis, observasse regulas Logicas; & quoties vel parabolis vel affectuosis sermonibus auditorium esset commoturus, Oratoriæ specimina dedisse. Proinde dum eos jubet *docere, monere, legem interpretari, heterodoxis resistere, cavere ludibria secus docentium*, & alia multa, quibus recensendis angustia paginæ non sufficit, simul ea disciplinarum instrumenta videtur postulare, sine quibus tanta doctorum officia minus feliciter procedunt.

Plura succurrent in ipso sermonis cursu, quem, ad diem Martis, finitis in templo sacris antemeridianis, ut favore suo prosequantur, quibus ERUDITA PIETAS cordi est, per hanc virtutem, per salutem, quàm inde sperandam habet juvenum cœtus, per ipsum pietatis fructum, rogo: daturus operam, ne vel audivisse talia, vel mihi benevolentiam declarasse quenquam pœniteat. DEUS servet Patriam, & in ea Posteritatis h. e. frugiferæ pietatis seminarium. P. P. Dom. I. Post.

Trinit. M DC XC.

